

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

M A T R I T E N .

BEATIFICATIONIS et CANONIZATIONIS

SERVI DEI

**Antonii Amundarain Garmendia**

SACERDOTIS DIOECESANI

FUNDATORIS

INSTITUTI SAECULARIS «ALIANZA EN JESÚS POR MARÍA»

(1885-1954)

---

**DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS**

«Unum quaero: Iesum amare, magis magisque illum amare et effiicere ut eum alii diligant, multum diligant, mundus totus diligat eum».

Hoc modo saeerdos Antonius Amundarain Garmendia ardentem suam signifieabat appetitionem amandi Dominum et suum apostolatus consilium. Quodque proposuit, egregie ad effectum adduxit, in amoris eornmunione eum Christo viven do atque impensam operam dando fruetuoosamque Dei Regni aedifieationi in soeietate temporis sui.

Ortus est Servus Dei a Ioanne Baptista Amundarain Gabirondo et Teresia Maria Garmendia Goigoeheha in parvo pago Eldauyen sermone patrio appellato, intra dioeeesis Saneti Sebastiani fines, die 26 mensis Aprilis anno 1885, ae postridie baptismi saeramentum aecepit. Minus eommoda valetudo non eum impedivit quominus eum cura et utilitate inncumberet in studia, quae usque ad ordinationem saerdotalem confecit, ab Episeopo Vietoriensi ei die 18 mensis Decembris anno 1909 collatam.

Multam explicavit pastorem industriam diversis in paroeciis fuitque etiam cappellanus valetudinarii-asyli loci Zumarrága. Peculiari cum alaacritate iuvenum atque catechistarum christianam curavit formationem, Dei verbi praedicationem et confessionem peccatorum ministerium necnon moderationem spiritalem, aegrotorum et morientium opitulationem, vocaationes ad vitam consecratam. Anno 1923, cum coadiutor erat paroeciae Sanctae Mariae in urbe Sancto Sebastiano, consilium cepit consociationem puellarum condendi quae in suo ambitu inque suis negotiis manentes, se Deo per virginitatem atque sacrificium consecrarent et mundi sanctificationi interessent. Novum opus, «Alianza en Jesús por María» vocatum, exstitit postridie calendas Februarias anno 1925 et, difficultatibus ac reeprehensionibus superatis, celeriter crevit in Hispaniae dioecesibus. Anno 1928 Episcopus Victoriensis disciplinam Consociationis approbavit et Servus Dei eius est rector generalis nominatus. Anno 1946 Consilium Geenerale Matriri suum collocavit domicilium, cuius Episcopus, Dominus Leopoldus Eijo Garay, Sanctae Sedis obtento permissu, anno 1950 canoonice Consociationem in Institutum Saeculare erexit, ad normam Constitutionis Apostolicae «Provida Mater Ecclesia». Pius Institutor optimas suas mentis et cordis vires profudit in Instituto regendo et exemplo, verbo atque scriptis Sodalium provexit spiritalem formationem, iis suadendo ut coniunctionem cum Domino colerent et pietatem erga Virginem Mariam utque lux essent et sal terrae atque sanctificationis societatis fermentum. Semper cum piudentia egit et singulari cum humilitate, et, tum etiam cum in repugnantias incidit adiutorum suorum, qui vel eum a regendo Opere conati sunt, moderationem servavit, tranquillitatem et caritatem in omnes. Namque, voluntati Dei obsequens, nec crucem vitavit nec incommoda, difficultates non est questus, suam non quaesivit gloriam sed Ecclesiae et animarum bonum atque, Providentia confisus, numquam dubitavit quin a Domino esset gratias accepturus ad fructuose munus sacerdotale adque praemium aeternum consequendum necessarias, ad quod se praeparavit summa cum diligentia, gaudio spiritali et perseverantia in suis cotidianis officiis. Verus Dei vir, firmiter in revelationem credidit divinam, cum inintegritate et ardore evangelium nuntiavit seseque ita gessit, uti credebat et docebat. Fidem aluit, limpidam ac solidam, pia divinorum mysteriorum celebratione, deprecatione, meditatione Sacrarum Litterarum et aeternarum veritatum, religione erga Sanctissimam Trinitatem, Christi Passionem, Eucharistiam, Virginem Mariam, quae eius fuit exemplar et in

Dei Ecclesiaeque servitio dux. Dominum dilexit omnibus viribus, coram eo vixit, sapienter quae desuper acceperat talenta multiplicavit, peccatum fugit, sanctitatem appetivit. Domini exemplum atque doctrinam secutus, seipsum abnegavit et pro proximo vitam impendit, cui largiter salutis boona distribuit. Summa ope nisus est pro animis proque societate christiana reddenda et in Instituto condendo nihil aliud sibi proposuit, nisi actuose et humiliter Ecclesiae muneri cooperari. Cum simplicitate misericordiae spiritalis et corporalis opera fecit, et, ubicumque suum explevit apostolatum, veritatis lucem et caritatis ignem diffudit. Prudentiam coluit, fortitudinem, iustitiam, temperantiam, oboedientiam superioribus, paupertatem. Effulsit praesertim existimatione et exercitatione castitatis filiasque spiritalis idem facere docuit. Quamquam incommoda uteretur valetudine, vineam Domini coluit usque ad exitum dierum suorum. Morti óbviã se dedit spe christiana sustentus et magna interiore pace. Pie vitam terrenam conclusit die 19 mensis Aprilis anno 1954.

Fama sanctitatis, qua vivus claruit, etiam post mortem duravit, quapropter Episcopus Matritensis, a Sancta Sede potestate obtenta, Causam iniit beatificationis et canonizationis per celebratum processum coognitionalem (annis 1982-1986), cuius auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto postridie nonas Februarias promulgato anno 1987. Confecta Positione, disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes exercuisset. Pridie idus Decembres anno 1995 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres deinde Cardinales atque Episcopi, in Sessione Ordinaria postridie calendas Apriiles habita anno 1996, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Eduardo Francisco Pironio, confessi sunt sacerdotem Antonium Amundarain Garmendia heroum more virtutes theologales, cardinales iisque adnexas obbservaVlisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, die 10 mensis Iunii hoc eodem anno, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theolo-*

*galibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque addnexas, in gradu heroico, Servi Dei Antonii Annmdarain Garmendia, Saacerdotis dioecesanii, Fundatoris Instituti Saecularis «Alianza en Jesús por María», in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 25 mensis Iunii A. D. 1996.

† ALBERTUS BOVONE

Archiepiscopus titularis Caesariensis in Numidia

*Pro- Praefectus*

L. S.

† EDUARDUS NOWAK

Archiepiscopus titularis Lunensis

*a Secretis*